



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Dispv. LXI. An scientia Dei sit non entium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)



2. Præterea scientia requirit similitudinem inter scientem & scitum. Sed ea, quæ non sunt, non possunt habere aliquam similitudinem ad Deum, qui est ipsum esse. Ergo ea, quæ non sunt, non possunt sciri à Deo.

3. Præterea Scientia Dei est causa scitorum ab ipso. Sed non est causa nō entium, quia non ens non habet causam. Ergo Deus nō habet scientiam de non entibus.

Sed contra est, quod dicit Apostolus ad Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Respondendo dicendum, quod Deus scit omnia, quæcumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet ea, quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quæ actu sunt. Ea vero, quæ non sunt actu, sunt in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturæ: siue in potentia actiua siue in passiua, siue in potentia opinandi, vel imaginandi: vel quocumque modo significandi. Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiam si actu non sunt. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam. Sed horum quæ actu non sunt, est attendenda quedam diuersitas. Quædam enim licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est eius esse æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens ingitibus Dei fertur in totum tempus, & in omnia quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subiecta sibi præsentia-liter. Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum quod sunt in potentia, sic habent veritatem ea quæ non sunt actu, verum est enim ea esse in potentia & sic sciuntur à Deo.

Ad secundum dicendum, quod cum Deus sit ipsum esse in tantum vnumquodque est, in quantum participat de Dei similitudine: sicut vnumquodque in tantum est calidum, in quantum participat calorem. Sic ea quæ sunt in potentia, etiam si non sunt in actu, cognoscuntur à Deo.

Ad tertium dicendum, quod Dei scientia est causa rerum voluntate adiuncta. Unde non oportet quod quæcumque scit Deus, sint vel fuerint, vel futura sint, sed solum ea, quæ vult esse vel permittit esse. Et iterum. Non est in scientia Dei, ut illa sint, sed quod esse possint.

*Explicatio articuli.*

Conclusio est affirmans, & verissima: intelligit S. Thom. autem B. Th. per non entia, ea quidem, quæ possibilia sunt non tamen præsentia, neque futura, nam & futura inter ea, quæ sunt, connumerat S. Doctor eo quod in conspectu Dei non tantum sit eorum essentia ab existentia abstracta, sed etiam cum illa, pro ea tamen temporis differentia, in qua futura sunt: ideoque harum omnium rerum, etiam futurarum, scientiam appellat ipse, & Doctores communiter, scientiam visionis, quoniam ad rem cum eius existentia refertur, de qua latius in a. 13.

#### DISPVTATIO LXI.

An scientia Dei sit non entium.

*Notationes quedam pro solutione questionis: cap. 1.*

*Quomodo non ens ad intellectum Dei referatur, cap. 2.*

#### CAPVT I.

*Notationes quedam pro solutione questionis.*

Quia non entia dici possunt, quæ impossibilia sunt, ut hominem esse æquum, & similia, dubitare optime possumus, an scientia Dei ita sit horum non entium, sicut est entium, & eorum possibile, videri autem potest alicui, scientiam Dei ad non entia terminari, ut eodem ipso conceptu quo Deus cognoscit entia, cognoscat non entia: sicut dici consuevit per habitum, priuationem cognosci nec in mente Dei esse proprium aliquem conceptum non entium, sicut est entium, & eorum, quæ sunt: idem enim videtur expresse tradidisse Dionysius 7. de diuinis nominibus post medium, ubi de modo, quo Deus res cognoscit, sic ait, Non quid per speciem singula consideret, sed quod vno causa complexu omnia sciatur, & continueat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet, quod non aliunde quam ex luce tenebris nouit. Ecce qualiter Dionysius docet, tenebras per lucem cognosci, & cum hoc comparat modum, quo Deus res intelligit: quare posset aliquis dicere, eodem modo ens & nō ens ad intellectum diuinum referri, sicut lumen & tenebræ visui corporeo comparatur; ut sicut eodem actu, non distincto, dicitur visus esse tenebrarum, eo ipso, quod est lucis, sic etiam eodem conceptu, quo Deus cognoscit esse rerum, cognoscat etiam nō entia, hoc est, quicquid non est. Verum cum de intellectu diuino; & de modo, quo intelligit, exacte loqui non valeamus, sed ex modo, quem in nostro intellectu experimur seclusis aliquibus imperfectionibus, quæ in Deum cadere non possunt, Theologizare necesse sit, nitendum nobis est hac via quid in hac re dicendum sit, paucis explicatur. In explicationem ergo huius rei notandum est, primo in diuino intellectu esse non posse plures actus, sicut in nostro, sed intellectum Dei & intellectionem, quam habet de rebus, esse suam simplicissimam essentiam, quæ prout ad diuersa obiecta refertur, vel diuersa obiecta cum ipsa comparantur, dicitur talis, aut

ta lis



talis intellectio, assensus nimirum, aut dissensus. Secundo observandum est, in nostro intellectu, præter simplicium apprehensionem, esse etiam iudicium, quod in nobis sit compositione, aut divisione: iudicium autem aut est assensus eius, quod ut verum apparet, quando scilicet cognoscitur prædicatum convenire subiecto in propositione affirmante; aut est dissensus eius, quod apparet falsum, quando scilicet videtur prædicatum non convenire subiecto in propositione similiter affirmante; atque hac ratione intelligitur illud *Arist. 1. Poster. cap. 2. Quod non est non fitur*, hoc est, quod apparet non esse, non cognoscitur ab intellectu per assensum, vel ei, quod falsum apparet, intellectus non præbet assensum: alioqui, si de assensu & dissensu loquamur, intellectus est veri, & falsi, sicut voluntas boni, & mali; veri per assensum, falsi autem per dissensum: voluntas vero boni per prosecutionem, & complacentiam; mali autem per fugam, & displicentiam: aliter quidem, quam visus dicitur esse lucis, & tenebrarum, auditus soni, & silentij. Nam sensus dicitur esse privationis proprii obiecti, non quia circa illam habet aliquem actum cognitionis, sed quia privatio proprii actus provenit ex privatione proprii obiecti, & inde homo discernit, non visu, sed intellectu, non esse lucem in medio, quia aperti oculis non videt; inde tamen non discernit silentium, sed ex auditu, quando ipso applicato, non audit, & sic de alijs. Visu autem non percipi tenebras, neque interiori aliquo sensu, sed ratiocinatione intellectus constat, quia visus non habet speciem illarum, alioqui situm, & quantitatem tenebrarum perciperet, si tenebræ referrentur ad ipsum, sicut proprium sensibile illius; commune enim sensibile quantitatis per se videtur, si coniunctum sit cum proprio: sensus autem interiores ea tantum percipiunt, quorum habent species derivatas per sensus externos; tamen si ex ijs, quas acceperunt, monstra nunquam visa aliquando consingant, ergo si tenebræ non fuerunt in visu externo, sit, ut neque in interiori esse possint. Tertio præmittendum est, non ens, seu id, quod falsum est, & intellectui est obiectum dissensus in compositione, & divisione, concipi interdum à nobis per modum cuiusdam entis simplicis, ac de illo nos multa enunciare, ac si esset aliquid ens: sic Chimera quæ est impossibile quoddam, scilicet hominem esse equum, leonem, & bovem simul, concipimus, & nominamus ad modum cuiusdam entis, & ideo dicitur ens rationis negatio, sicut etiam privatio, quod eodem modo à nobis apprehendatur, & nominetur.

## CAPVT II.

Quomodo non ens ad intellectum Dei referatur.

EX his sequitur, quo pacto non ens ad Dei intellectum referatur, & ab eo dicatur intelligi. Primum quidem Deus nulla ratione assensum præbet non enti, hoc est, falsæ propositioni, siue illa sit affirmans, siue negans, quæ reuera falsa est, sed ei semper dissentitur, eo quod intellectui diuino secundum se, nunquam res obijciatur, nisi sicuti est, vnde quod non est, non obijciatur, ac si esset: quare illius semper dissensum habet, & hoc modo intellectus diuinus per se refertur, & terminatur ad non ens. Quare sicut voluntas etiam Dei per se est boni, & mali, huius per displicentiam, illius

*Valquez in 1. part. Tomus I.*

per complacentiam; sic etiam intellectus diuinus est veri, & falsi, huius per dissensum, illius per assensum, hoc est, hæc obiecta ad diuinum intellectum ita referuntur, ut ipse inde denominationem accipiat assensus, & dissensus, iuxta modum explicatum in prima notatione.

Secundo intellectus diuinus per se refertur per modum assensus agens, hoc est, ad veram propositionem, siue illa sit affirmans, siue negans, per modum, inquam, assensus, hoc est, ita intelligit esse, quod est & non esse, quod non est, ut unicuique assentire dicatur, & hoc per se, non cognoscendo negationem per affirmationem: hoc vero ita est intelligendum quia Deus simplici intuitu, quo videt vnumquodque extremum, videt etiam vtrum vnum alteri conueniat, an non, sicut etiam de Angelis dicemus infra disp. 23. cap. 2. Est tamen differentia, quod Angelus, ut ibi explicabimus, per vnam speciem non potest in suo intellectu diuidere, & ita nec vno conceptu formali simplici, sed duobus, ut minimum, quia plures res per plures species concipit, inter quas debet esse diuisio: sed intellectus diuinus vno simplici conceptu formali, hoc est, essentia sua diuina concipit duo extrema, quæ inter se quidem re ipsa diuisa sunt, & sibi contraria: ergo ea sic intelligendo, per se quod intelligit diuisa, & vnam alteri repugnare, & contrariam esse, sicut reuera est, & hoc est, diuisiorem concipi ab intellectu diuino, seu negationem veram, quod idem est: & ita non solum dicitur Deus habere proprium conceptum obiectiuum entis, sed etiam non entis.

Neque vero Deus non ens intelligit instar entis, hoc enim accidit nostro intellectui, qui vnum per aliud intelligit. Quocirca neque non ens, ut Chimera, concipitur à Deo ad modum entis, sicut ab humano intellectu, qui de illo, sicut de re quadam philosophatur, ut diximus in tertia notatione: hoc enim est figmentum quoddam, quod Deo tribui non potest. Cum hoc tamen dicendum est, ut sequenti articulo patebit, privationem non cognosci à Deo, nisi etiam cognito habitu opposito, non tamen per conceptum ipsius habitus, dico per conceptum obiectiuum, quia cum aliud sit habitus, aliud negatio, & Deus intelligat ea, quæ sunt, aut non sunt, eo modo, quo sunt, aut non sunt, non potest non vnumquodque per se obijci intellectui diuino: tamen si formalis conceptus, qui est in intellectu Dei, idem sit vtriusque, ipsa nimirum essentia diuina: superest ut respondeamus ad testimonium Dionysij, qui oppositum docuisse videtur, de eo tamen sequenti disp. dicemus.

## ARTICVLVS X.

Vtrum Deus cognoscat mala.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod Deus non cognoscat mala. Dicit enim Philosophus in 3. de Anima quod intellectus, qui non est in potentia non cognoscit privationem: sed malum est privatio boni, ut dicit Augustinus. Igitur, cum intellectus Dei nunquam sit in potentia, sed semper actu, ut ex dictis patet, videtur quod Deus non cognoscat mala.

*Assensus & dissensus quid sint in Deo.*

*Non ens non concipitur à Deo ad modum entis.*

6

89.  
1. Arist. 3. 6. q.  
1. art. 2. c.  
veris. q. 2. ar.  
15. c. 1. 1.  
cont. cap. 7.  
c. 1. 1. quod.  
2. ar. vni.  
eo. Ten. 2. 5.  
10. 2. hinc i.  
vidij. cap. 1. 1.  
tom 3. 2. 1.  
lib. 3. conf.  
cap. 7. tom 2.  
Art. 2.

2. Præ-



2. Præterea. Omnis scientia vel est causa sciri, vel causatur ab eo. Sed scientia Dei non est causa mali nec causatur à malo. Ergo scientia Dei non est causa malorum.

3. Præterea. Omne quod cognoscitur, cognoscitur per suam similitudinem vel per suum oppositum. Quicquid autem cognoscit Deus, cognoscit per suam essentiam: ut ex dictis patet. Diuina autem essentia neque est similitudo mali, neque ei malum opponitur. Diuina enim essentia nihil est contrarium, ut dicit Augustinus 12. de Ciuitate Dei. Ergo Deus non cognoscit mala.

4. Præterea. Quod cognoscitur non per seipsum, sed per aliud, imperfecte cognoscitur. Sed malum non cognoscitur à Deo per seipsum: quia sic oporteret quod malum esset in Deo. Oporteret enim cognitum esse in cognoscente. Si ergo cognoscitur per aliud, scilicet per bonum, imperfecte cognoscitur ab ipso, quod est impossibile: quia nulla cognitio Dei est imperfecta. Ergo scientia Dei non est malorum. Sed contra est, quod dicitur Proverb. 15. Infernus, & perditio coram Deo.

Respondeo dicendum, quod quicumque perfecte cognoscit aliquid, oportet quod cognoscat omnia, quæ possunt illi accidere. Sunt autem quedam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur. Vnde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile vnumquodque secundum quod est: vnde cum hoc sit esse mali, quod est priuatio boni: per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Vnde dicit Dionys. 7. cap. de diuin. no. Quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras quam à lumine.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Philosophi est sic intelligendum, quod intellectus, qui non est in potentia, non cognoscit priuationem per priuationem in ipso existentem. Et hoc congruit cum eo, quod supra dixerat: quod punctum & omne indiuisibile per priuationem diuisionis cognoscitur. Quod contingit ex hoc, quia formæ simplices & indiuisibiles non sunt actu in intellectu nostro, sed in potentia tantum. Nam si essent actu in intellectu nostro, non per priuationem cognoscerentur. Et sic cognoscuntur simplicia à substantiis separatis. Deus igitur non cognoscit malum per priuationem in se existentem, sed per bonum oppositum.

Ad secundum dicendum, quod scientia Dei non est causa mali, sed est causa boni, per quod cognoscitur malum.

Ad tertium dicendum, quod licet malum non opponatur essentia diuinæ, quæ non est corruptibilis per malum: opponitur tamen effectibus Dei, quos per essentiam suam cognoscit, & eos cognoscens, mala opposita cognoscit.

Ad quartum dicendum, quod cognoscere aliquid per aliud tantum, est imperfecta cognitionis, si illud sit cognoscibile per se. Sed malum non est per se cognoscibile: quia de ratione mali est quod sit priuatio boni. Et sic neque definiri, neque cognosci potest, nisi per bonum.

#### Explicatio articuli.

**C**onclusio est affirmans, intelligi autem debet non tantum de malis culpæ, sed etiam pœnæ, nec tantum de positio quod in malo pœnæ cruciat, sed de priuatione boni, quam infert: similiter non solum est intelligenda de positio, quod est in peccato, sed etiam de priuatione rectitudinis, quæcumque sit in ipso opere, & actu peccati. Ceterum cum duplex in Deo scientia esse dicatur, quedam approbationis, aut practica, quæ Deus dicitur aliquos nescire, ut Matth. 25. alia vero simplex rerum notitia, conclusio non est vniuersæ intelligenda de scientia practica, aut approbationis, quia Deus nec approbat mala culpæ, neque illa facit, prout mala culpæ sunt, ut optime animaduertit Alex. 1. p. q. 23. in 7. art. 3. tamen utroque modo scientia Dei ad mala pœnæ referatur: de scientia tamen simplicis notitiæ, comprehendendo scientiam speculatiuam, etiam futurorum, conclusio est in vniuersum vera de omni malo, tam culpæ, quam pœnæ, & in Scriptura, & doctrina Patrum satis manifesta: de modo tamen, quod Deus scit malum culpæ, inter Doctores est aliqua controuersia, & futura nobis subinde disputatio.

#### DISPUT. LXII.

An Deus per suam bonitatem cognoscere possit malum quodcumque culpæ.

Sententia quorundam Thomistarum, cap. 1.  
Deum non per se, sed per oppositam virtutem intelligere omne peccatum, cap. 2.

#### CAPVT I.

Sententia quorundam Thomistarum.

**N**on omnia supponendum est, questionem non esse, an Deus proprium conceptum habeat malitiæ peccati, si ea est in priuatione, de hoc enim in præced. disp. satis dictum est, quare neque quærimus, an per conceptum proprium bonitatis suæ cognoscat Deus malitiām peccati: sed cum priuatio sit alienius habitus priuatio, ac proinde impossibile sit eam cognoscere, non cognito habitu opposito, & malitiā à multis dicatur esse priuatio bonitatis, controuersia nunc est, utrum, ut Deus cognoscat malitiām peccati, quæ in priuatione dicitur consistere, satis illi sit, suam bonitatem cognoscere, an necesse etiam habeat cognoscere bonitatem aliquam creatam: supponimus autem ex sententia multorum; malitiām esse bonitatis debere.

Art. 2. huius  
questionis.

Lib. 5. de Ci-  
uit. Dei c. 2.  
circa fin. 15.

Cap. 7. non  
multum à  
medietate.

Lib. 3. de ani-  
mat. c. 23.  
& 25. 10. 2.

In Deo est  
scientia per  
acta & spe-  
culatiua.

Matth. 25.

Alex. 1.

Sesui que-  
stionem capi-  
tur.